

erectos constituerunt, ut deorum cognitionem, coelum intuentes, capere possent. Sunt enim in terra homines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque coelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem, interpretes ac nuncii rerum, in capite, tamquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi, tamquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. Et aures quum sonum percipere debeant, qui natura sublimis fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt: et quod cibi et potionis iudicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris consecutae sunt. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis, et potulentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus omnesque nimios et frigoris, et caloris appulsus sentire possemus. Atque ut in aedificiis architecti advertunt ab oculis et naribus dominorum ea, quae profluentia necessario tetri essent aliquid habitura: sic natura res similes procul amandavit a sensibus.

Cap. LVII. Quis vero opifex, praeter naturam, quae nihil potest esse callidius, tantam sollertiam persequi potuisset in sensibus? Quae primum oculos membranis tenuissimis vestivit et sepsit: quas primum perlucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit et mobiles, ut et declinarent, si quid noceret, et adspectum, quo vellent, facile converterent. Aciesque ipsa, qua cernimus, quae pupilla vocatur, ita parva est, ut ea, quae nocere possint, facile vitet: palpebraeque, quae sunt tegmenta oculorum, mollissimae tactu, ne laederent aciem, aptissime factae sunt et ad claudendas pupillas, ne quid incideret, et ad aperiendas: idque providit, ut identidem